CLARISSIMO

VIRO

DAVIDI PETIJAN

Regis Consiliario & Medico Parenti colendissimo.

HOC PRIMUM DOCTRINÆ JACTRICÆ SPECIMEN.

In æternum amoris, gratitudinis, & obsequi monumentum

D. D. C.

HENRICUS PETIJAN
Tonneranus.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. XI.

QUÆSTIO MEDICA:

An Artritidi sola victûs ratio.

PROPOSITA

Ab Illustrissimo viro D. D. ANTONIO MAGNOL Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Medicorum Monspeliensium Academiâ Professore Regio dignissimo.

Pro primâ Apollinari Laureâ Consequendâ.

PARTES in quibus furit Articularis dolor, Instructas tendinibus, membranis munitas, & ligamentis firmatas, exquisitissimo sensu donavit natura; Sensus partis quanto exquisitior, eo vividior acriorque ejus dolor. Arthritis hostis est infensus & occultus, eludens Pharmaca, Medicorum opprobrium.

Solvere nodosam nescit Medicina Podagram.

Causa ejus contumax & intractabilis: Quid facias. Num debellabis Morbum, ferocior est? Ferox indoles mitiganda, lenienda; & non exasperanda.

Arthritis virorum, raro mulierum affectus, vehemens est articulorum partiumque adjacentium dolor periodicus, à sero acido & acri oriundus, in partes membranosas & ligamentosas easque plurimum sensiles depluente.

Pro varietate articulorum multiplex statuitur is affectus; In manu chiragra, in pede podagra, in coxendice ischiadicus dolor nuncupatur; quicunque in alio quovis figitur articulo generis nomine Arthritis apellatur, quæ si plures invaserit articulos erit universalis, si unum tantùm obsideat particularis; Rursum Arthritis vaga est si ab articulatione in aliam excurrat dolor, fixa dum in una tantùm cruciat; Est quoque vel insita vel congenita à parentibus in prolem jure quodam hæreditario transmissa, vel adventitia à causis externis vel ab erroribus in victu prosapiam ducens

Jam vero unde deducetur feri hujusce affectus causa proxima; Num ex opinione veterum statuentium dolorem Arthriticum, à materiâ vel pituitosâ vel biliosâ &c. Modò à capite, nunc à lienè, hepate, aliisque, visceribus in articulos ruente ortum habere? Minimè non dantur peculiaria Vasa ex visceribus illis ad articulos vel manuum, vel pedum usque tendentia, ut liquet ex observatis Anatomicorum, si Vasa exceperis sanguifera. Num à flatibus oriundus est tanquam à causâ conjunctâ dolor articularis, ut placuit quibusdam inter recentiores, qui suffulti Hippocratis patrocinio, ejusque opinioni tenaciter nimis adherentes flatuosam materiem non solum seminium variorum ac ferè omnium morborum cum illo statuunt, sed Arthritici cruciatus causam asserunt firmiterque contendunt? Nequaquam: si enim à flatibus oriretur affectus ille, qui posset fieri, ut flatulenta materies quæ levi calore aut minimo motu difflatur & discutitur, dolorem adeo pertinacem fixumque quandoque, & quasi adhærentem ipsis articulis produceret. Deducendam ergo vel potius statuendam autumamus causam proximam Arthritidis serositatem quæ in Vasis sanguini socia per eorumdem spiracula depluit in articulos, inibi coarctata fermentescit, ferocitate barbarâ distendit, vellicat, compungitque acutissimo sensu donatas partes, hinc dolor intensissimus; sed quoniam compunctio & vellicatio, qualis est Arthriticorum ex solo serositatis affluxu erui non potest, sola namque serositas distentionem pareret, non irritationem, seroso latici partibus salinis, iisque acidioris, & acrioris indolis onusto adscribimus totum illud dolorificum negotium, quod quia non eadem vehementia furit, cùm in illis intensior sit doloris sensus, in aliis remissior; Arguendum serosum illum liquorem futurum esse indolis nunc acrioris, jam mitioris, vel in articulos aut potius membranea ligamenta illos investientia & colligantia, faventè non raro nativâ eorum imbecillitate, nunc uberiori, modo parciori copiâ elapsurum.

Ex dictis, ergo, ferum falinis partibus grave, erit genuinus Arthritidis fons, & origo legitima perceptionis dolorificæ qualis in Arthritide perfentitur.

Quæ ferum igitur & acredine pecans & aciditate depravatum generant ea funt Arthritidis caufæ procatarticæ, quarum præcipuæ ex rebus non naturalibus petuntur. Quis enim nefcit Bacchum & Venerem, Arthritidis Vulgo parentes dictos, iram, aliaque plura auimi Pathemata, iifdem adjuncta, vel feorfim, fanguini Vappidam indolem & ferofam, eamque acriorem & acidam nimis impertiendo, Arthritidem inducere? Dubitas? eos confule qui durâ nimis experientiâ poft abufum utriufque vini fcilicet & veneris, de articulorum doloribus conqueruntur. Teftes quoquè funt ii quos cruciatus Arthritici recurrentes miferrimè divexarunt. Cætera ex rebus non naturalibus, quibus fanguis acefcit & acrefcit, fitque articulorum compages laxior & debilior, authores quoque Arthritidis cenfeantur. Sed quoniam hæc fanguinis vitia à primis derivantur viis, ventriculum maximè tanquam remotum Artritidis authorem accufamus.

Si quis dolore in articulis crucietur, fiatque tentata pars ad motum inhabilis, is erit Arthriticus. Hæc enim duo funt figna Arthritidis factæ Pathognomonica. Multiplex dolor eft, lancinans, diftendens, profundus, acer, mordax; nec femper tumore fenfibili ac rubore ftipatus; lancinans eft quòd membranæ fenfu exquifito præditæ lædantur, nempè particulis feri falinis, aculeatis, acidis, & acribus. Profundus, ob læfas membranas in profundo pofitas. Diftendens prout ferum fe copiofius ingefferit. Acer & mordax, ob indolem feri. Mitior vero is dolor eft aut atrocior, prout ferum fuerit minùs aut magis acre & acidum, & minùs aut magis copiofum. Periodicus, quòd diffletur tandem aut reforbeatur effufum illud ferum, depluatque rursùs in partem invalidam quòd cum fanguine convehitur. Interdum cum dolore percipitur tumor, ob majorem illius feri copiam ad partes etiam exteriores diffufam. Cùm rubor tumori conjungitur, tunc intercipitur aliquatenùs in Vafis minoribus cruor.

Motus læfio, alterum eft Arthritidis fignum Pathognomonicum. Fitque motus læfio cum à nimiâ tentatæ partis diftenfione, cùm ab interceptione quadam influentis in partem fpiritûs. Quod adeo verum eft ut finito infultu Arthritico, vix poffit, æger liberè movere partem poft dies decem aut quindecim, plus aut minus, nimirum donec difcuffa fuerit materies Arthritica, tonoque naturali pars fit reftituta. Interdum & paroxyfmi principio contingunt horrores, & rigores; quòd ferum falibus onuftum partes laceffat membranaceas nerveafquè. Imò & pulfus concitatus tumultuanfque, aut etiam febris interdum in paroxyfmo percipitur; ob tumultuofam inductam fanguini fermentationem, & ea funt præcipua fu-

rentis Arthritidis signa. Imminentem Arthritidis insultum prænuntiant in articulis sensus solito exquisitior, eorumque à causâ levissimâ læsio, febris interdum, torpor partium, & formicationis sensus, aliaque quamplurima quæ brevitati studentes omittenda censemus.

Rheumaticus dolor & Arthriticus affectus affines plurimum, si non doloribus, saltem quoad loca affecta distinguntur. Prior non tantùm articulos, sed & universum corpus invadit, hinc Arthritis vaga & universalis à nonnullis nuncupatur, Arthritis articulos tantùm aut partes adjacentes torquet & cruciat. Arthritidem inveteratam dices, si tophi nodiquè in articulis adfuerint, qui fæx sunt concreta seri peccantis.

Arthritis affectus est contumax ut plurimum, nec tamen periculosus; dolorificus, non lethalis, juxta eflatum divi senis *lib. de aff. Podagra longus est morbus & molestus, sed non lethalis*. Usque ad mortem plerumque durat, aliorum morborum præservatrix. Quæ hereditaria est, eludit vim pharmacorum, ut & inveterata; audiatur Hippocrates *lib. de præd. Qui Podagram congenitam habent ægrè, ab ipsâ liberantur*. Nullâquè factâ concretione curam faciliùs suscipere potest dolor articulorum. A quocumque levi dolore timet Arthriticus crudelem paroxysmi reditum; sed quantumuis miserè torqueatur, nisi funesta quædam in cerebrum, pulmones, aliasque nobiliores partes fiat humorum metastasis, sperat se à paroxysmo liberandum instra breve tempus.

Licet Arthritis cùm inveterata est aut hæreditaria, perfectè non curetur, operam tamen expostulat medicam ut mitigetur cum atrociter cruciat, vel ut ipsius prævertantur paroxysmi. Mitigatur autem topicis, anodynis, & narcoticis; ejus præcaveri potest paroxysmus tùm venæsectione, tùm levi Cathartico. Purior enim sanguis & copiâ minutus, minùs par erit ut partem afficiat debilem.

Si vero nuper infestet virum à morbis alienum, ac robore pollentem, nihil videtur præscribendum aptius, quàm quod septem ab hinc annis civem curavit Monspeliensem. Is æstatem totam litterario consumpserat otio nec nisi post cænam expatiatus fuerat. Dolorem ineunte Novembri mense percepit in genu, qui ab initio deambulatione discutiebatur, sed factus per quindecim circiter dies gravior & gravior ac tandem sævissimus, somnum etiam per sex dies & noctes abstulit. Advocati Medici. Visum est genu ipsius jam tumens ac rubore quodam suffusum; Gonagra fuit unanimiter pronuntiata, & ex nimio æstatis otio. Idque potissimum quod æger dolore simili fuerat anno proximè antecedenti tentatus. Ei vena fuit statim pertusa, & granum Laudani exhibitum. Quievit per noctem. Mox lene hausit Catharticum. Imperatum est ut vino uteretur diluto & cibis euchimis. Sed & applicitum est tumori Cataplasma ex foliis convolvuli minoris in mortario tusis ac subindè oleo rosaceo

irroratis. Alternis noctibus Laudani grano sopitus est. Tumor post dies octo aut decem discussus prorsùs evanuit. Remansit imbecille genu; nec æger se nisi post dies circiter viginti sustinuit, & liberè ambulavit. Hinc debitam, pro more, servavit victûs rationem, & perfectè fuit ab hoc malo immunis. Eodem pacto prorsùs, sanati fuerant alii quidam Arthritici. *Qui juvenis est, inquit Hippocrates, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accuratè vivit, & laboris amans est, hic sanè medicum intelligentem nactus sanari poterit.* Quem secuti, ut experientissimum, concludimus.

ERGO Arthritidi maximè victûs ratio.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.	*PROFESSORES REGII.*
R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius.*	R. D. Petrus Magnol.
R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*	R. D. Antonius Deidier.
R. D. Joannes Bezac.	R. D. Petrus Rideux.
R. D. Petrus Chirac.	R. D. Petrus Chastelain, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES AGGREGATI.

R. D. Joannes-Henricus Haguenot. R. D. Henricus Haguenot, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Eustachius Marcot. M. Joannes Astruc. M. Antonius Fizes.

Quam propugnabit in augustissimo Monspeliensi Apollinis fano HENRICUS PETIJEAN *Tonneranus, Artium liberalium Magister jamdudum Medicinæ studiosus, ab horâ octavâ usque ad meridiem, die mensis Jannuarii anni* 1711.